




**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorivs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorvm, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Jnscriptio Codicis Membranacei Venerandæ Vetvstatis, Sed Pessime A
Librariis Accepti;

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)



JNSCRIPTIO CO.
DICIS MEMBRANACEI
VENERANDÆ VETVSTATIS,
SED PESSIME A LIBRARIIS
ACCEPTIS;

A Regnante in perpetuum Domino &
Saluatorе nостro Iesu Christo. Anno
incarnationis eiusdem Domini nostri. DCC.
XCII. Carolus excellentissimus, & à Deo
electus Rex Francorum & Langobardorum,
ac Patricius Romanorum, anno felicissi-
more regni ipsius XXIII. Diuino nutu inspi-
ratus; Sicut ante omnes, qui ante eum fuerunt,
sapientia & prudentia eminet, ita in hoc ope-
re utilissimum sui operis instruxit ingenium,
ut uniuersas epistolas, quæ tempore bona me-
moriae Domni Caroli Aui sūt; Nec non &
gloriosi Genitoris sui Pippini, suisq; tempori-
bus de summa Sede Apostolica, beati Petri,

C. Apo-

*Apostolorum Principis, seu etiam de imperio
ad eos directa esse noscuntur, eò quod nimia
vetustate, & per incuriam iam ex parte di-
rutas atq[ue] deletas conspicerat, denuo memo-
rabilibus membranis summo cum certamine
renouare ac rescribere decreuit.*

*Incipiens igitur, ut supra diximus, à prin-
cipatu præfati principis Caroli, Auisui, usq[ue]
præsens tempus, ita omnia exarans, ut nul-
lum penitus testimonium sanctæ Ecclesiae pro-
futurum suis deesse successoribus videatur, ut
scriptum est; sapientiam omnium antiquo-
rum exquiret sapiens; &c.*

Hactenus inscriptio antiqui Codicis. Quam, can-
dide Lector, in ipso statim vestibulo tibi repræsentare
voluimus, ut operis huius vetustatem ac grauitatem
ante omnia disceres. Vetustas est, quam in iam tibi
proposita tabella conspicaris. Grauitas tergmina est,
ab Epistolarum Auctoriibus, à Principibus, ad quos
missæ Epistolæ; & à Collectore. Auctores sunt Sum-
mi Pontifices: Illi, ad quos datæ, Summi Reges: Col-
lector, Rex potentissimus & inuictissimus, quo post
Constantinum Magnum, occidens vix parem, certè
superiorem non habuit.

Obserua autem; quando iussu Caroli Magni istæ
Pontificum Epistolæ vnum in volumen redactæ sunt,
adhuc in viuis fuisse Adrianum Papam; nam Annus
Domi-

Domini DCC XCI. est Annus vicesimus Pontificatus Adriani , qui eodem abiit, Anno Redemptoris DCCXCV. Quo temporis spatio credibile est Adrianum plures ad Carolum Epistolas dedit.

Successit Adriano Leo III. Carolo Magno coniunctissimus & amicissimus , quem quis abnuat, ad eundem Principem & quæ frequentes literas dedit ac Adrianum ?

Leonem petulanter insectatur Illyricus in Catalogo, quasi indectum & barbarum. Habeo, inquit Illyricus, aliquot eius Epistolas ad Carolum, prorsus rudes & barbaras. Hæc elegantissimus iste Sclauus; Ex cuius libris si solœcismos & barbarismos in vnum fascem comportare velis, Codicem si non Calepino, saltem Dasipodio spissitudine parem facile efficies. Exstant Leonis III. tres Epistolæ Tom. 3. Conciliorum nouæ Edit. p. 445.

Cum autem Catalogus Testium editus sit Anno M. D. L XII. Et Centuria octaua Anno M. D. LXIV. Et in hac Centuria Illyricus ita scribat: Non est dubium, quin (Leo III.) ad minimum plures Epistolas ad Carolum, & ad alios scripsit; sed malitia Pontificiorum suppressæ sunt: admodum profectò Illyricus mendacij suspectus redidit; nam si habuit nonnullas Epistolas Leonis , ut dicit in Catalogo, cur non saltem aliquas Centuriæ octauæ inseruit, præsertim ineditas , aliisq; non visas , cum aliorum quorundam Pontificum Epistolas Centonibus suis insuere non abhorruerit? Cur saltem Sammaria earum non attulit, ut fecit in Epistolis Pauli & Adriani Pontificum? Quid opus erat dicere, non esse dubium, quin ad Carolum plures Epistolas dederit, si aliquas Leonis ad Carolum Epistolas habebat? An.

C 2 vsq;

vſq; adeò obliuiosus erat Illyricus, vt Centuriam octauam cum suis Rhapsodis consarcinans, non meminierit amplius penes se has Epistolas exstare? Porro conuiciis Illyrici in Leonem III. oppono res gestas eiusdem Pontificis, quas Anastasius literis mandauit, & iudicium Caroli Magni, qui Leonem non minus ac Adrianum coluit, vtique id non facturus, si talis fuisset, qualis à pessimo plaste Illyrico effingitur. Sed iam Epistolas ipsorum Pontificum audiamus; inter quas' audirentur quoque Leonis Epistolæ si non omnes, saltem aliquæ, nisi eas vel temporis longinquitas, vel Illyrici iniquitas nobis inuidet.



EPI-